

www.e-rara.ch

Utilis curiositas de humanae vitae felicitate

Masen, Jacob

Coloniae Agrippinae, 1672

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-39582>

Caput XXIV. Catholicine an protestantes verius magisque Christi meritis ac verbo Dei in
suae religionis articulis innitantur?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]


Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Apostolum facilius æstimabis.

Admirabilis istius hominis & in loquendo fuit impudentia, & in viris etiam Principibus insolentissimè perstringendis arrogantia, ac protervia. Quas similesque abominationes, cum plures ex eius tomis congefferint, mihi hisce sordibus non lubet chartam fœdare; uti nec eis, quæ ex Calvinì ore ac calamo fluxêre. Cuius cum ob id gravatè nomen sectatores eius ferant, mirum est doctrinam erroresque probari. Illud solum obtestor literatos utriusque sectæ universos, ut considerent, quàm omnino nullum eis ad excusationem erroris ab ignorantia præsidium, in tam manifestæ defectionis & hæresis luce, superfuturum sit; cum nec vulgus quidem hominum hanc queat ignorare. Exisse illorum Duces à Catholicis, & doctrina tam insolenti, & moribus tam suspectis, toto nimium orbe est exploratum. Nunc tamen, an aliqua reperiri huic facinori pietatis, aut veritatis quæsitæ, larva possit, paulo attentius videamus.



CAPUT XXIV.

*Catholicine an Protestantes verius magi; q; Christi
meritis ac verbo Dei in sua religionis ar-
ticulis innitantur?*

Specioso sub velo meritorum Christi, & S.
Scripturæ reverentia, atque observatione

prætenſa, non paucos fecellere. A catholicis hæcenus; ſub quo, oblata conſcientiarum vitæque libertas, & bonorum Eccleſiaſtico- rum rapina, traducendique ad profanos uſus facultas, blandum erat lenocinium. Quid enim non auſit homo, qui pœnis coerceri ſatis à ſcelere nequit; ſi & ſcelus virtutis ornetur colore, & pro pœnis exhibeantur præmia? Expendamus paucis doctrinam eiusque vim, ne quam aduerſus innocentes ſtruamus calumniam.

Meritis
Chriſti per
bona, &
juſtificationem
opei
hominis,
nihil de-
trahitur.
ſed maior
virtus tri-
buitur.

Tit. 3. 5.

1. Cor. 1. 30.

1. Cor. 1. 9.

Phil. 2. 13.

1. Cor. 3. 9.

Meritis & ſatiſfactioni Chriſti, ajunt, detrahi, quidquid noſtris Sanctorumque operibus, meritisque, aut gratiæ, aut præmij, cœleſtis vendicamus. Illi uni ſolique deberi omnia: dicente Paulo: *Non ex operibus juſtitia, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit. per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum; ut juſtificati gratiæ ipſius heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Nam *Chriſtus factus eſt pro nobis juſtitia, ſanctificatione, & redemptione.*

Rectè aſſentimur Paulo; ſed non Proteſtantibus. affirmamus non tribuendum operibus noſtris, ſed Chriſti, divinæque miſerationi, quod ſalvemur. Dicimus cum eodem Apoſtolo: *non ego; addimus tamen, ſed gratia Dei mecum.* Licet enim Deus operetur in nobis *velle & perficere;* tamē & nos *adjutores Dei ſumus.* Hæc Apoſtoli ſententia eſt cooperationem noſtram deſiderantis. Unde vi gratiæ opera noſtra juſtificare & ad æternam ſalutem conferre

affir-

affirmamus. Protestantes sentiunt hominem, suâ licet concupiscentiâ inquinatû, solâ Christi justitiâ per fidem apprehensâ justificari, si videlicet credat pro se satisfacisse Christum, fidatque promissione ipsius, peccata sibi esse remissa, per Christi merita, vitamque ac salutem donatam. Catholici verò negant hæc sufficere quæ homini solum extrinseca sint ; sed asserunt præterea, vi meritorum Christi gratiam Spiritus S. in eundem transfundi, & justitia interiore tam operum, quàm habitus innovari, adeoque illam, quæ per Adamum amissa est, justitiam, restitui, hoc solum discrimine, quòd concupiscentia maneat ; cui tamen per gratiam dominari possimus nunquã, nisi voluntariè assentiendi, noxiæ. Et sanè par erat: ne plus Adamus noceret peccando, quam Christus prodesset redimendo. Nam sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi (quod amissâ interiore hominis justitiâ factum est) ita per unius obediendum iusti constituentur multi. Quocirca, merito Christi, non solum ipsius nobis justitia extrinsecè imputatur ; sed *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum S. qui datus est nobis* Nihil igitur detrahimus meritis Christi, sed virtutem majorem tribuimus, qui non in solam arborum, sed & fructum illius, influere vi sua docemus : dicente Christo, *qui manet in me, & ego in illo, hic fere fructum multum.* Interea totum hunc operum fructum Christi

Rom. 5, 19.

1b. v. 5.

Quia non solum extrinsecè (ut volũt Protestantes) sed & intrinsecè, virtute tantû tuâ, hominem justificat,

meritis justitiæque adscribimus, ut exemplo patebit. Sint enim duo, quorum alter intuitu Dei, alter hominis idem justitiæ opus v.g. continentia & eleemosynæ exerceant, hoc illi tantum ad salutem profuturum dicimus; nec alia ex causa, nisi quia illud per gratiam Dei exercitum, vi meritorum Christi excellat. Peccatori par opus nihil proderit, quia Christi gratiâ meritisque est destitutum. Quis igitur non videat, vim totam salutis in Christi à nobis, licet cooperantibus, meritum refundi? Christus *vitis* est, nos *palmites*: hi omnem viti debent vigorem: quamvis sine palmitibus fructus non esset. Ita nec Sanctorum meritis, atque intercessioni quicquam tribuimus, nisi vi meritorum Christi, & divinæ amicitia. Unde Jobum pro amicis deprecantem exaudiri credimus, divitem in inferno negamus. Sanctos in cælo gratia amicitiaque Dei fretos, & gaudere de nostra pœnitentia, & intercedendo hanc impetrare possentimus. Denique quidquid eiusmodi rerum est creaturarum, unde aliqua nobis salus provenire potest, ad redemptorem Jesum divinamque miserationem refundimus, cui (ut in sacramentis manifestum est) per creaturas suam ad nos gratiam transfundere non raro placuit: neque iccirco sibi quicquam censuit derogari. Vanus ergo hic Novantium prætextus, imò profus impius, & abominandus est quia destruit, non adstruit vim meritorum Christi.

Quis

Quis enim sive Christum redemptorem, sive redemptum spectet hominem, in hac doctrina plurima, vel cogitata, horrenda non reperiat? Etenim, si justitiam meritaque Christi spectemus, planè indignum est asserere, tantum non posse, ut lapsum Adæ reparent, & sublatam per illius peccatum interiorem hominis justitiam reparent. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis, ait Paulus, abundantiam gratiæ, & donat:onis & justitiæ accipientes, in vita regnabunt, per unum Iesum Christum.* Et sanè multo magis, quia *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum S. qui datus est nobis.* Potuitne quicquam ad hanc rem clarius pronuntiari? Rursum, quis non erubescat justitiam Christi facere velamentum scelerum, atque inquinorum operum nostrorum, quæ coram Deo habeantur *tanquam pannus menstruata?* Quid luci cum tenebris, Arcæ Dei cum Belial? Si corruptorum Judæorum talia tamque immunda fuere opera; an iccirco Christianorum omnium sunt? Denique quæ perversitas est, Deo tale tribuere iudicium, ut immunda fidelium opera, tanquam cæcus, pro mundis, propter fidem in Christum, acceptet? Dei incorrupta iudicia sunt, talem rem æstimat, qualis suâ in naturâ est. Si acceptor personarum non est, quantò minus immundorum erit operum?

Jam si redemptum spectes hominem, Deum immortalem! quàm abominabilis doctrina

II
Abominanda doctrina est, quæ solâ Christi justificationem extrinsecam salutiferâ peccatori esse tradit quia redemptori injuria est.

Rom. 5. v.
5. & 15.

Deinde redemptio noxia, est quia in

sceleribus
fovet, &
conatum
ad saluti-
fera opera
tollit.

est solâ illum fide (quam fiduciam in Christi meritis promissisque esse volunt) quantumcunque sceleratam vitam palliare & justum coram Deo censerî ; non indigere aliâ, quam quæ per fidem (credentem omnia sibi peccata remitti) est pœnitentia ; nullâ apud hominem confessione & enumeratione criminum opus esse, absolutione nullâ, operibus bonis ad satisfaciendum nullis ; proposito emendationis in præceptorum observatione nullo. Hæc enim derogare Christi meritis, qui pro nobis abundè satisfecerit, & peccata nostra pertulerit in corpore suo, quantumcunque illa demum existant.

Denique frustraneum stultumque conatum fore nostrum ad bona opera exequenda, quibus præcepta Dei impossibilia sint : nihil à nobis ad absolutam justitiam, salutemque exigi, quàm ut Christi meritis promissisque Dei fidamus. Præclara enim vero ad avertendum ab omni bono opere, atq; ad animandum hominem, ut *fortius* peccet, oratio: ut scilicet Christi meritorum extollatur præstantia, per quæ tantò graviora remittantur, seu obvelentur, quantò detestabiliora & plura quisque admiserit ? O dedecus Christiani nominis ? O pudenda Germanorum (inter quos hæc amentia primùm exorta est) labe ! Christusne, agnus ille ad occisionem ductus, idcirco carnem nostram, eamque immaculatam assumpsit, ideoque tam horrenda ad abolendum peccatum suo

Lutherus
supra.

in corpore pertulit, ut sceleratis sicut antea inhaerent ipsius fideles operibus; & sub iustitiae tantum suae velamento aliorum iniquitatem tegeter? Quam longè diversa nos & nativa ratio, & Ecclesia Catholica haecenus, tale monstrum justificationis ignorans, & ipse disertissimè Apostolus docuit. Sic, inquit, dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae; ut exhiberet sibi gloriosam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed ut sit sancta & immaculata. Quidquid sanctum est, excludit omne peccatum, quidquid immaculatum omnem maculam. Unde verò Sancti & immaculati erimus? Idem nos docebit Paulus. Simus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Et quid fides, sine charitate? audi eundem. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Nimirum, ex fide spem iustitiae expectamus. Sed fide qua per charitatem operatur. Non enim Christi iustitia, sed, quae ex hac in nobis est, Charitas operit multitudinem peccatorum. Denique quâ mente fidelis sibi persuadere potest, impossibilem Christi legem esse, de qua Christus ipse pronuntiat: *jugum meum suave est & onus meum leve*? Non alium, quàm mandatorum observatorem, suum esse agnoscit, dum ait. *qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* Cõfirmat eadè Joannes Apostolus. *Hæc est, inquit, charitas Dei ut mādāta eius custodiamus: & mādāta eius gravia non sunt.*

Ephes. 5.

III

Fides sine charitate inutilis, nec, nisi per illam peccata operit. & sanctificat.

Ephes. 1. 4.

1. Cor. 13.

Gal. 5. 6.

1. Pet. 4. 7.

Nec charitas, nec fides sine impletione legis est.

Mat. 11.

Conclu.

1. Joh. 2.

Concludo cum eodem, certumque boni fidelis signum exhibeo. *In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata eius observemus. Qui dicit se nosse Deum* (attendant Protestantes, qui negant servari mandata Dei posse, & ad Lydium hunc lapidem fidem suam probent) *qui, inquam, dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit mendax est.*

IV

Operibus bonis merces vitæ æternæ promissa est, vi meritorem Christi, quæ summa eorum dignitas est.
1. Cor. 3. 8
1. Tim. 4.

1. Cor. 4.

Porro quantò ad bene faciendum & *currentiam viam mandatorum Dei* illecebra sit, scire quod in meritorum Christi virtute ac gratiâ possim omnia : & cum Paulo profiteri : *Omnia possum in eo qui me confortat* ; nosse, quia *unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem*, tenere quod *pietas ad omnia utilis promissionem huius vitæ habeat & futuræ* : quis non intelligat ? Ita ad fortiter cum Christo patiendum, quantum, obsecro, incitamentum est credere; quod *momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operetur in nobis* ? Et quâ fronte adversarii has tam manifestas bonorum operum, suamque mercedem in cælo habentium, assertrices scripturas, possunt contemnere ? Tales igitur cum nos fructus Justitiæ & meritorum Christi in nobis agnoscimus ac tuemur, majorem longè illis virtutem adscribimus, quàm si pallium tantùm faciamus nostrarum immunditiarum. Quare liberè verèque assero, cæcum esse, qui non videat, reverentiam dignitatemque multò excellentiorem

rem

rem à Catholicis, quàm ab Adversariis, Christi meritis tribui, quibus non solum extrinsecam, verùm intrinsecam quoque hominis sanctitatem tam disertis potentibusq; scripturæ divinæ verbis adstruunt. Et quis tam aversus à vero sit, ut negare audeat, utramque hanc sanctitatem justitiamq; hominis extrinsecæ uni præferendam esse?

Nunc alterum fundamentum A Catholicorum exploremus. Verbo Dei se majorem habere observationem, illique soli, suâ in fide niti; nos ad mandata & verba hominum transire affirmant. ideoque non divino, sed humano fallibilique fundamento nixos credere.

Hæc illorum præsentio si vera esset, obtinerent causam & jam pridem illorum accessissem partibus. Sed Catholici hanc accusationem in adversarios regerunt, habentque pro axioma, *nihil fide divina credendum esse, quod verbo Dei revelato & cognito non innitatur.* hoc vero Protestantes, in articulis Romanæ fidei oppositis, non inniti, sic ostendunt. Quicumque nullum fidei Romanis oppositæ, articulum expressis minimeque controversis verbis Dei; sed humanis tantùm fallibilibusque nixum consequentiis exhibent, hi non verbo Dei revelato, sed humano solum ratiocinio nituntur. Hoc Protestantes faciunt. Ergo &c. Contrarium de Romanis sic demonstratur.

Quicumque in omnibus fidei articulis
verbo

V
Ex sola
scriptura
S A catho-
lici nihil
possunt,
sed fallibi-
libus con-
sequenti-
is nituntur.

verbo Dei revelato, vel scripto, vel tradito, seclusis humanis fallibilibusque consequentiis, inhaerent, hi non humanam, sed divinam sectantur fidem. Hoc Catholici faciunt, Protestantes non faciunt, Ergo illi, non hi divinam fidem sectantur. Major utriusque syllogismi indubia est, neque ab ulla partium repudiatur. Minorem quatuor partibus *Mediatæ Concordiæ* certam ostendi. Vulgata etiam invitatione Doctorum atque Academiarum præcipuarum Europæ, ad refutationem & correctionem, si cubi à veritate aberrassem, directâque ad Principes Germaniæ & Ratisbonenses legatos supplicatione, Quin addita Societatis, Ecclesiæque nostræ, & Rectoris Universitatis Colon. approbatione, ne privatus illud agere, ac pascere solum dicerer; ita ut nihil omiserim ad hoc tam rationabile votum impetrandum. Quare decennale jam & longius, silentium pro desperatione causæ adversæ & agnitione Veritatis, à Catholicis propositæ, habendum jure erit, abundeque causam nostram videbor, omnibus, in hac re sine affectu judicaturis, probasse.

Primò etiam articulos religionis nostræ controversos ex solo verbo Dei scripto, satis clarè proposui, modò illud ex veteris & proximæ Apostolis Ecclesiæ sensu, eoque satis obvio, accipiatur.

Secundò ostendi Adversariis Romanorum impossibile esse ex solo Dei verbo scripto, hoc eodem sensu sententiaque id ipsum pro se præstare. Imò nec consequentiis quidem id posse infallibilibus ex verbo scripto deductis. Et hæc parte I Meditatæ Concordiæ duobus tractatibus se executus sum. Parte altera Augustanam Confessionem ex S. Scriptura, per singulos articulos, magno numero sententiarum in re præsentis neglectarum, reformavi, orans Confessionistas, ut toti Scripturæ S. eandem reverentiam dignarentur habere. In tertia parte idem præstiti Confessioni malè Reformatorum, utque utrisque gratificarer magis, certiorique illos veritatis firmarem vestigio, Veteris Ecclesiæ ex tradito Dei verbo interpretationem adjeci. Et ne dubitarent hanc adversus se suorumque errores procedere, priorum Doctorum Confessionem, qui Patres adversum Protestantes stetisse faterentur, tum deinde & veterum Conciliorum decreta hodiernæ Ecclesiæ conformia adjunxi. Quarta parte primo ex Notis veræ Ecclesiæ, per ipsos Adversarios statutis, prædicatione scilicet verbi Dei, & sacramentorum administratione (quas perpetuas fuisse volunt) docui solam Romanam orthodoxam esse, denique Tractatu illius partis altero, verbum Dei traditum in Ecclesia æquè certò quàm scriptum extare demonstro, pro

pro quo tamen Protestantes humanas traditiones, per fallibiles suas consequentias è scripto verbo malè deductas amplectantur. Et hæc tam indubitatis principiis nixa esse sentio ; ut nemo, non Protestantium solum, sed nec Dæmonum quidem convellere possit. Quæ, fretus veritatis fiducia, adversus quemlibet hostem, alioquin tenuitatis meæ satis conscius ex multis peritioribus posthabendus, tanta animositate aggressus sum ; ut ad convertendos aliorum à fide aberrantium animos, vel certè ad hostes veritatis salubriter confundendos, ex solis Adversariorum principiis eisdem lacescere ; & ad salutem præsentem æternamque invitare, tam strenuè ausus fu-
erim, Christumque ; meum forte brevi, (quâ sum ætate) futurum judicem, testem in extremo die habiturus sum, nihil me, nisi tam cœcè infelicitèrque aberrantium hoc conatu meo salutem, ipsiusque gloriam spectasse.

Interea tamen non defuère ex Adversariis, qui primam mei operis partem, intactis ceteris, sed nec hanc quidem integrè, vellicare magis, quàm refutare aggressi sunt. quibus voluntas subvertendi maior, quam facultas adfuit : His seorsim postea, levi brachio, suos errores adumbraturus ita sum, ut ex tenebris veritatis lucem possint intueri.

Ne tamen supradictas propositiones sine omni probatione hoc loco transmittam :

Ut

ut i. quod nullum articulum nobis oppositum expressis, & non controversis verbis scripturæ exhibeant. nec ullum qui infallibili consequentiarum fide nitatur: manifestam experientiam testem exhibeo, nullum, neque in Confessione Augustana, neque in Gallica Calvinistarum proponi, qui iisdem in scriptura S. verbis reperiatur. Cùm tamen æquisimum esset, ex solo verbo Dei scripto reformationem pollicentes, vel unico illud articulo præstare. Quæ res, cum omnibus Confessionistis explorata sit, non video, quomodo per invincibilem illius fraudis ignorantiam quisquam possit excusari. Et sanè confunduntur peritissimi quique Adversariorum, quod diversis egomet exemplis probavi, quando ab eis poscitur, ut qui in tam variis à nobis articulis disident, in quibus Romanos ex S. literis reformare moluntur, vel unicum formalibus definitisque scripturæ verbis expromant: aut fateantur sese nisi per consequentias illud, seu ratiocinium suum, non posse. Objeci illud pluribus, exercitatisisimisque. unus omnium fuit, jam per annos octodecim scripturæ S. expositionem in publica Academia Protestantium professus, cujus nomini parco, qui Coloniae me convenit, agmine suorum non ignobilis stipatus; sed repente in fugam versus est, ubi se hoc telo peti vidit: licet in præsentia multorum promississet, se aliquos formalibus scripturæ verbis articulos, nobis oppositos

VI.
Impossibile est adversariis, vel unicum suæ Confessionis articulum formalibus verbis exhibere scripturæ.

positos, daturum. Nec multò post quosdam versus more Protestantium, ex scriptura nusquam cohærente, confarcinatos, obtulit per adolescentem. Quibus visis rogavi, ut tempus locumque addiceret. Verùm cum subinde nuntiaretur illum ex urbe parare abitum, etiam ante nundinarum solennem, qui instabat diem misi, qui significaret homini; ne cederet, me nil, nisi veritatis indagandæ amore, cum ipso cupere, & si quem articulum invictis etiam consequentiis probaret, hunc admissurum, ultroque, si liberet, apud A catholicam, quo diverterat, hospitem conventurum; secus ubi egisset, mei jam ante provocator, habiturum me illum pro homine suâ in causâ desperante.

Sed hisce omnibus spretis erupit, evasitque: mihi que profundam de ingenti istorum hominum infelicitate cogitationem reliquit, qui cum falsam indefensibilemque se causam tueri vident, tamen vitæ præsentis conditione impliciti, æternæ, quàm hujus vitæ felicitate carere, stultissimâ electione, malunt. Alteri non ignobilis doctrinæ generisque homini hoc ante triennium loco in duorum imperii Principum præsentia addixi, (& toti Protestantium ordini hoc meo scripto addico] mundo cæloque teste, me, si vel unicum articulum fidei nobis oppositæ, aut verbis formalibus minimeque in sensu controversis scripturæ

Sacra

Sacræ aut infallibilibus ex eadem consequentiis ductis, exhiberet, idque, quâ par est fide ac firmitate præstitissent, inter æquos utriusque partis arbitros: ad Lutheranos ego; aut, si secus, ad Catholicos ipse transfret. admisit pactum. Sed excepto præsentis, quominus ad hoc instructus venisset, tempore, Francofurto se missurum ad Treviros probationem pollicitus est, quæ etiamnum expectatur. Quia tamen Nobilis amplissimusque Dominus Joannes Thomæ J. U. D. & Consiliarius Saxonis, Altenburg. Consistorii Præses, ac Legatus ad Comitia Ratisbon. congestis SS. scripturæ sententiis, meæque Confessioni oppositis, magna illud sedulitate conatus est evincere, de illius postea successu paucis videbimus, nunc satis est, asseruisse, ne talem in hoc scripto nullum agnoscere. Neque memini, centies provocatos ad hoc præstandum adversarios; vel ullum Confessionis suæ articulum, aut definitæ significationis verbis, aut consequentiis ex scriptura S. infallibilibus exhibuisse. Si aliquo in libro talis extet, optem doceri. O infelices! ad viginti & plures suæ Confessionis articulos tenentur, & unum non præstant. Quomodo, obsecro, tam malè fundatam causam, ubi de æternæ vitæ præmio pœnæque agitur, miseri defendent? an pallium tam palpabili fraudi ignorantiaque ullum poterit reperiri?

VII
Rursum
impossi-
bile est,
vel unicū
ex infalli-
bili, è scri-
pto verbo
Dei, cōse-
quentia
deduce-
re.

De consequentiarum ex S. Icriptura ductarum fallibili fide sic facile evinco: quod humanis principiis, interpretationibus ac ratiocinijs nititur, hoc divinâ fide non est infallibile. Sed omnis syllogismus à Protestantibus in articulis fidei controversis, eis nititur. Ergo divinâ fide non est infallibilis. Major certa est. Minor in Conclusionem Meditatæ concordia, seu quarta eius parte, aliquot capitibus probata est, ostensumque longè illud certius præstare Catholicos. Ita quæ olim fuere controversa de Christo à Patre ab æterno genito æqualique, de Spiritu sancto ab utroque procedente, contra veteres hæreticos; & contra Anabaptistas de baptizandis pueris, de non baptizandis in solo nomine Jesu, ut Paulus Act. 19 fecisse legitur: contra nos de remissione peccatorum Sacerdotibus non concessa Ioan. 20 De operum negata justificatione, mandatorum impossibili observatione &c. nemo hætenus divina quicquam fide conclusit, sed quoslibet ex scriptura e lenchos multis partibus vitiosos fallacesque esse demonstravimus. imò universè quidquid ex principio uno naturali, & ratione nostra dependet, hoc purè divinum atque infallibile esse non potest, adeoq; ad divinam fidem fundandam non sufficit. Præterea licet utrumque principium ex Dei verbo desumptum sit, nisi tamen hoc unius ac definita significationis fuerit, definiti sensus sententiæque

que (quod ad certam fidem requiritur) conclusionem fundare non poterit. Et quæ obsecro scriptura, in controversis hodie fidei articulis, unquam producta est, quæ absolute plures interpretationes sensusque, inter ipsos etiam Romanæ Ecclesiæ adversarios (præsertim cum originariæ expendantur linguæ) non admittat? Quotò hic Catholici potiores sunt; quando non privato aliquo sensu suo; sed Apostolico perpetua traditione à Majoribus, excepto, Patrumque consensione, & Ecclesiæ totius mente probato, conclusiones inferunt. Quod si Lutherus securitatis Catholice septum non perfregisset, staret fortassis pristina religionis in consensu unitas tranquillitasque. Nunc Protestantes, quando fluctuantes sequelas tueri nequeunt, ad traditiones symbolicorum suorum librorum, & catechesin unius seculi vertuntur, quæ tot locis tamen ferè, quot Ecclesijs divisi sunt, variantur: tum deinde ad suarum Ecclesiarum, Synodorum, ac Principum decreta, quibus pleræque controversiæ absolvuntur sese volentes nolentesque convertunt. Ut (ne remota tangam) in Hollandia & Hassia superioribus annis, tum in Saxonia pluribus exemplis compertum est; atque illo quidem eventu, quæ hæresum esse solet, in quibus peior semper causa triumphat. Nam in Hollandia Arminiani Gomaristis, in Hassia Rentelenses Marpurgensibus, in Saxonia Helmstadiensibus Wittenbergensibus, hoc est minoribus obnoxii

IX
Longè
Catholici
securius
tradito
Dei ver-
bonixi,
quâ Pro-
testantes
suorum
Principū
decretis
inducti
contro-
versas il-
lationes
firmant.

erroribus, deterioribus accedere jussi sunt. Cuius demum indicio? Non scripturæ. Nam hanc pars quælibet pro se stare constanter tenuit; sed Dominorum, quorum decretis standum fuit. Ita qui Ecclesiæ Catholicæ judicium detrectarunt, jam profanorum hominum coguntur admittere; & qui scripturæ claram definitionem, in rerum credendarum articulis, sibi vendicant, jam præter umbram inanemq; jactantiam nihil retinent, sensimque omnes in barathrum errorum devolvuntur. Lutherani ad Calvinistas, non integris solum Ecclesijs, sed etiam regionibus, majori credendi & vivendi libertate transeunt; hi ad indifferentes, Quackeros, & nescio quæ monstra sectarum, atque ad Atheos denique, eodem quem jactant scripturæ Spiritu devolvuntur. Audiamus celebris hac de re Calvinistæ Puritani Alexandri Ros Angli in libro de mundi Religionibus testimonium. *Ex his ait, alijsque impijs opinionibus, quæ hodie dum inter nos tolerantur, & defenduntur, videmus, quo prolapsa sit Christi religio hoc loci, ubi tanta quondam pietate & zelo florebat. Nos Christianam religionem inter primos Europæos amplexi sumus, an à Petro, aut Paulo, aut Simone Zelotes, vel Iosepho, haud satiliquet certe primis suscepisse temporibus à Christo omnes tenemus. Neque cuiquam populorum nos devotione ac Zelo concessisse tot templa, Sacraria, cœnobia, collegia, scholæ testari poterunt. Quid super est, nisi mera religionis larva,*

part. 12.
fol. 513.

larva, ipsa per tot hereses, & blasphemias consumpta veritatis ac vitæ substantia! Cum Ieremia iure querar, quod decore & pulchritudo filia Sion ablatæ sit. Quæ verò causa? tertio post folio hanc aperit. Babylon, inquit, nova erigitur, plena impietatis, ignorantie, & blasphemiarum. Hi fructus sunt, & consequentiæ, ex Scripturarum sacrarum lectione per ignorantés improbosque Spiritus tentatâ, qui a ranearum similes, ex optimis saluberrimisque floribus venenum sugunt, & in sanis mortalibus similes, gladio verbi Dei ad se aliosque jugulandos utuntur, qui nobis ad defensionem contra hostes concessus est. Denique sub Puritano regimine seætas centum ac sex emeruisse, ex diversa Scripturarum interpretatione, Angliamque inundasse memorat. Porrò ut hanc perversæ expositionis culpam, Calvinistæ, Anabaptistis, ita hi illis, Lutheranisque, & hi, contra, reliquis imputant. Qui cum mutuo se de illo corruptionis vitio arguant, ipsdemque se invicem argumentis petant, credere omnibus non possumus; nisi quod errent universi: quia una omnium, quâ se arguunt falsitatis est ratio.

Neque possibile est, ut eodem argumento verum ac fallum, vi illationis bonæ, probetur. Et quisquam in orbe hominum sit, qui hanc ex scriptura concludendi rationem, tot lapsibus obnoxiam, à Deo institutam

Pag. 117.

X

Confusio religionis babilonica ex concludendi è scriptura diversitate.

Pag. 169.

quæst. 93.

perfectamque existimare possit : nec illam præferat, quæ ad unius Catholicæ Ecclesiæ sensum, in Concilio Doctissimorum hominum veterum traditione expensâ profertur ? aut excusabilem se coram Deo hominibusq; futurum putet, si in tanta sententiarum religionumque confusione ac varietate, consilium respuat, quod nemo juxta humanas prudentiæ, divinæq; religionis leges (quibus ad Patres Ecclesiamque ducimur) potest aspernari. Certè Lutherus violator huius regulæ manifestus grave Dei iudicium cum sectatoribus, hac in re tam crasse delirantibus non declinabit, cum quam in aliis proprii capitis interpretationem damnavit, ipse cum suis amplexus est.

XI.
Lutherus,
& Calvinus, pro-
testantiû
principes
in tanta
dissentien-
di inter-
se, & se-
cum levi-
tate. Re-
formatio-
nem Deo
aurore
non potuerunt au-
spicari.

Et quo demum colore Reformatores illi, Lutherus Calvinusque, tot contradictiones, tantamque ex scriptura reformandi inconstantiam probare æquis de veritate æstimatoribus poterunt ? aut enim divino, aut diabolico spiritu hoc cœptum est opus. Si divino ; ergo nec alter alteri, nec ipsi sibi contrariari potuerunt, cum divinus spiritus ignoret omnem falsitatem. Diabolico igitur cœptum oportuit ; quia inconstantia & contradictio integris tomis demonstrata extant. Et quisquã credat alio rem esse terminatam spiritu, quàm inchoatam, vel, quod Diabolus reformationis opus cœpit (ignoscât sic loquenti, qui aliter gravitatem rei explicare nequit) hoc à Deo esse continuatum ? Ridiculi verò
ejus.

ejus Sectatores sunt, qui cum negant, se, vel
Luthero, vel Calvino obnoxios; sed S. tan-
tum scripturæ adhærere; eodem tamen
hanc modo legeque, quâ Lutherus & Cal-
vinus interpretantur. Ut si Damon non
minus affeclâs, quàm malignæ reformatio-
nis autores possit fallere?

At plerique, ut hanc maculam decli-
nent, Apostolos sese primamque Ecclesiam,
in scripturarum interpretatione eosdem as-
secutam, sequi, eiusque, non Lutheri, aut Cal-
vini nisi ubi cum sacra scriptura loquuntur,
sensu acquiescere profitentur. Sed quàm
vanè ista jactent Europæ nationes testan-
tur; quid enim obsecro causæ est, quod in-
tegræ per Germaniam ac septentrionem re-
giones scripturam potius cum Luthero, per
Hollandiam, Galliam, Angliamque cum Cal-
vino interpretentur? Nunquid Patres, &
Scriptura ubique ijdem? Conspiratio in-
terpretandi utrobique diversa? Huius ego
diversitatis conjuratæ principium postulo.
quod nemo prudens in scripturam, veterem-
que & Apostolicam Ecclesiam; sed auto-
res jam dictos, atque ab eis natas fidei
Confessiones, hoc est, humana commen-
ta, derivabit. Extra quæ impossibile fo-
ret integras nationes, alijs oppositas, ex
eadem utrobique scriptura Patribusque in-
terpretationes lectari.

XII
Nec Pro-
testantes
inter se,
nisi pro-
pter hu-
mana
istorū au-
torū com-
mēta dif-
fident, &
diversa è
scripturis
conclu-
dunt.

Luce igitur meridiana clarius est, à divino Spiritu hunc interpretandi usum manare non posse; sed humanum commentum esse, à Diabolo in mortalium ruinam adornatum. Denique nihil illos tribuere primorum seculorum Patribus, fatis exploratum est; quod non nisi excerptas quasdam sententias, inadæquatè eorum doctrinam complectentes, sibi vendicent (non secus atque in S. literis) quidque universè tradant, minus observent. Eisdem quoque notos quosdam, observatosq; à veteri Ecclesia errores exprobrant; ideoque, sicubi adversariâ doctrinâ premant, fallere eos tanquam homines (licet conspirantibus sententiis idem sentiant) protervè respondeant. Ita ubi per SS. Patres te evicisse credideris, nihil deniq; ab obstinatis Lutheri aut Calvini sectatoribus, hac viâ impetrasti. Hoc responso elidunt omnia: *homines sunt, potuère falli*. Quid ergo? an homines non sunt, qui hæc asserunt? an SS. Patribus infallibiliores?

Quod si hoc ipsum de Confessionum diversarum, quibus inhærent, autoribus asseras: Ut negare non poterunt; sic denique reperies, nullum illis, vel dissentienti ab aliis, vel consentienti inter se fundamentum relictum esse, nisi umbratile, quod scripturam esse dicunt. Quæ cum eadem inter omnes sit, manifestum est, non posse dissentienti ab aliis, & consentienti tantum esse cum suæ nationis hominibus fundamentum. Nihil igitur excogita-

gitabile, nec proprius quidem privatusq; Spiritus, præter humanas constitutiones, relictum est, quibus suas consequentias tueantur.

Ceterum, si traditiones Ecclesiæ Catholicæ, ab Apostolis usque ad nos propagatas, quibus in nostris conclusionibus nitimur, neglectum (ut faciunt) aspernentur, nec S. quidem scripturæ infallibiliter, tanquam à Deo profectæ, inhærere possunt. Nam Ecclesia, ut ajunt, eiusque traditiones fallibiles sunt. Ergo in traditione etiam S. scripturæ fallere potuit, aut si non possit: rationem edant, cur in hac faciant infallibilem, quæ fallere potest in ceteris? Quidquid dixerint, causâ cadent. Imò ratio manifesta suppetit, cur in hac traditione illi Ecclesiæ, quam hæreticam esse sentiunt, tuto credere nequeant. Quis enim fidei Christianæ depravatoribus sacræ scripturæ fidat custodiam, quæ orthodoxæ doctrinæ fundamentum sit? aut si hanc Romanis credant, cur non æque fidelem eiusdem interpretationis traditionem? cum huius, utpote per diversa Patrum volumina sparsæ, corruptio longè difficilior scripturæ sanctæ, uno volumine comprehensæ, corruptione fuerit? Sane utriusque traditio integra, vel concedenda simul Ecclesiæ Romanæ erit, vel neganda. In illo tuta salus, in hoc nulla securitas; quod Protestantibus ad privatum Spiritum recurrendum sit; quem, cum in

XIII

Protestantes, nisi admissa traditione Ecclesiæ infallibilitate, aut verbo Dei tradito, nec de S. quidem scriptura certi sunt.

Ana-

Anabaptistis aliisque adversariis damnent, in se probare non possunt. Nos Catholici certum habemus, quod Ecclesie suae Christus Spiritum veritatis promiserit. Quo freta in legitimis conciliis, sub uno capite congregatis, securè de ob ortis controversiis decidit. Quam consuetudinem cum omnis bene ordinata servet resp. rationique humanae, ac divinae legi conformis sit, atque ab ipsis etiam Apostolis introducta, contra omnes adversariorum, qui unius nos Romani Praesulis diliramenta sectari fingunt, calumnias inconcusse tuebimur, nec inani affirmatione gloriabimur, multis nos titulis, de tradito Dei verbo, per divisos toto orbe Patres conciliaque, ac perpetuam Ecclesiae Catholicae propagationem, infallibilemque sententiam, multo esse certiores, quam adversarii de scripto Dei verbo esse possint. Quare ab illa confusione, ac dissipatione sententiarum & religionis, ad meliorem S. Scripturae usum, constantiamque in fide, tam crasse fœdeque, per tot sectas, aberrantes per amanter invitamus. cum tam manifesta omnium ad solam scripturam provocantium deliria ac dissensiones sint, ut excusationem coram Deo, & hominibus (extra hanc societatem erroris positis) non queant admittere. Redeant ad concordiam pacemque & unius orthodoxae Ecclesiae matris gremium, extra quem, neque huius neque seculurae vitae felicitatem expectare aberrantibus licebit.

CAP.

*diabolici in t
nu as luce
d
In orbe te
bolica relig
vero heter
oram ad h
ritandum g
gnoscenda
1. Cap
encula, quib
tueur, &
neque succo
somi av
orthodox
si inficiat
ad Marcu
murdum a
na eos qui
me mo D
m. super
dolum. U
credentib
miraculorum
peram intellig
cum aucti vi
tar: Amen. at
vera que ego
sua facti.*